777 Quod vero attinet ad secundum casum principalem, cum imploratur auxilium, seu brachium sæculare unius Judicis ab altero sæculari per litteras hortatorias, seu requisitorias ad exequutionem decreti, seu sententiæ; si illa sententia, seu decretum sit in causa civili, quid agendum sit, dixi dicta quæst. 1. n. 26. Si vero requisitoriæ litteræ expediantur in causa criminali, non tenetur Judex requisitus eis simpliciter asserentibus, aliquem esse reum criminis, fidem habere, ut probat textus *in l. divus 6. ff. de custod. reorum*, ac per consequens illis obsequi, easque exequutioni mandare non debet. Ideo Judex requirens, qui adversus delinquentem procedit, transmittere debet ad requisitum insertam in litteris hortatoriis summariam delicti probationem, qua constet delictum esse commissum ab illo, qui capiendus, & remittendus petitur; itemque esse legitimum, & competentem ejus delicti Judicem ipsum eundem, qui litteras deprecatorias mittit. Cognitionem autem istam delicti Judex remissurus delinquentem adhibere non debet, cum vicem habeat exequutoris, sed à requirente præmissam, & transmissam examinare, an sit sufficiens ad exercendum actum illum, ad quem ejus auxilium imploratur, si propria authoritate, & in causa ad ipsum pertinente, illum esset effecturus, habens illi fidem sine novo processu, aut alia à se adhibita de delicti cognitione; & hoc examine præmisso auxilium suum impartiri debebit ad capturam rei, & remissionem in illis casibus, quibus juxta inferius dicenda remissio locum habet. Quod si viderit illam summariam informationem præmissam sufficientem non esse ad rei capturam, vel ex ea non constet esse Judicem legitimum qui requirit, ad remissionem petendam, vel remissioni locus non fuerit, juxta juris principia, paulo post tradenda, ab exequutione deprecatoriarum debebit abstinere, illamque denegare; quod videtur probare textus *in leg. Divus, 3. ff. de custodia reorum*. Atque hanc sententiam veluti concordiam duarum extremarum, quas supra retuli, ex num. 760. amplectuntur Albericus *in Authent. qua in Provincia, num. 12. Cod. ubi de criminibus agi oport.* Socinus *regul. 415. alias liter. R. regula 4. fallentia 5.* Guido Papæ *decis. 202. num. 1.* Chassaneus *in consuetud. Burgundiæ, rubr. 12. §. unico, num. 4. & 5.* Covarruvias *in præct. cap. 11. num. 8.* Avendanus *de exequ. mandat. 2. pars. cap. 7. n. 6. & in tractat. de exceptionibus, num. 18. & responso 40. n. 3. in fine, versic. item illa lex*, Aviles *in cap. 27. Prætorum, verbo entreguen, num. 8.* Didacus Perez *in leg. 2. tit. 17. l. 8. ordinament. pag. 339. cum seq. ex versicul. quæri potest*, Azevedus *in lib. 1. num. 39. & 40. ex versic. quarto limitatur, & ex n. 58. tit. 16. l. 8. recopil.* Bovadilla *lib. 2. polit. cap. 13. num. 69.* Villadiego *in politica, cap. 5. §. 27. n. 5.* Gamma omnino videndus *decis. 363. ex n. 3.* Peguera *dec. 2. num. 5. & dec. 66. n. 18.* Thesaurus *dec. 90. n. 7.* Riccius *collectan. 2214.* Bossius *tit. de foro competenti, ex n. 87.* Decianus *tract. criminal. lib. 4. cap. 19. num. 15.* Follerius sibi contrarius *in constitut. Capitaneorum, num. 63.* Camillus Borellus *ad Bellugam in speculo Principum, rubr. 11. §. ex quo prædiximus, in additione, limit. 16.* Dominus Regens Carolus Tapia *lib. 3. Juris Neapolit. rubr. 6. in pragm. 1. ubi de delicto, quis debeat conveniri, num. 4. & 28.* Atque ita sunt interpretandi Doctores, quos retuli supra, num. 761. pro secunda sententia.

778 Neque tunc obstabit, quod Judex requisitus sit exequutor, & per consequens non possit cognoscere de justitia, vel veritate causæ exequendæ, quia id limitatur, ut non procedat, si agatur de exequutione, ex qua resultat infamia, vel injuria, cujusmodi esset captura, & remissio personæ. Nam tunc in exequutione supersedere debebit, donec ei constet saltem summarie de veritate delicti; argumento textus elegantis *in l. si Prætor, 75. ff. de jud.* & hanc sententiam praxis admisit in Regnis Castellæ, & Neapolis.

779 Practica autem esse solet, ut præsentatis requisitoriis, seu hortatoriis litteris, si nulla circa earum exequutionem difficultas se offerat, exequutioni mandari jubeantur. Si vero aliquid appareat difficile, verum periculum sit in mora, veluti si timeatur fuga rei, aut latitatio, mandantur quidem exequutioni, sed tamen reus opponere volens exceptiones, cur in earum exequutione supersedere debeat, auditur. Si autem periculum non sit in mora, citatur reus ad dicendam causam, quare exequutioni mandari non debeant.

780 Quænam vero exceptiones proponi possint coram requisito, & quas admittere possit, aut rejicere debeat, vide Bartolum *in leg. à Divo Pio, 15. in principio, ex num. 7.* & ibi Doctores, *ff. de re judicata*, Barbosam *in leg. maritum, 13. ex num. 47. vers. amplia 4. ff. sol. matr.* Menochium *de arbitriis, lib. 1. quæst. 38.* Cancer *variarum resol. part. 2. cap. 15. ex n. 14.* Ignatius Villar *in sylva responsorum, l. 2. respons. 16. cap. 4. n. 20.*

Quibus autem remediis utendum sit, si Judex, qui 781
requirere debet, nolit mittere litteras hortatorias, aut si Judex requisitus nolit eas exequutioni mandare, dixi late dicta quæst. 1. ex num. 38.

Amplia nono prædictam regulam, & conclusionem 782
principalem, ut forus loci delicti in criminalibus sit præstantior, potior, magis privilegiatus, & majoris efficaciæ ceteris foris. Hanc tradunt Joannes Andreas *in cap. ut animarum, 2. num. 7. constit. in sexto*, Baldus *in l. de quibus, 31. n. 74. ff. de legibus, & in l. edicto, 3. n. 54. in fine, C. de edicto D. Adrian. tollend. & in l. exequutorem, 8. num. 30. Cod. de exequut. rei jud.* Paulus *in leg. 1. n. 2. C. ubi de crim. agi oport.* Marianus Socinus *in cap. postulasti, n. 4. de foro comp.* Alciatus *cons. 13. rogatus in præsenti casu n. 2. & 3. l. 7.* Franciscus Marcus *dec. 179. n. 1. 2. par.* Thesaurus *dec. 90. n. 7.* Franchis *dec. 37. n. 1.* Julius Clarus *lib. 5. §. fin. quæst. 38. n. 19.* Thesaurus filius *lib. 4. quæst. forens. quæst. 55. num. 1.* Azevedus *in lege 1. num. 13. & 26. titulo 16. lib. 8. recop.* Barbosa *in l. hæres absens, 19. §. proinde, in articulo, de foro delicti, num. 109. & 110. ff. de judiciis*, D. Regens Tapia *lib. 3. Juris Neapolitan. rubr. 6. in pragmat. 1. ex num. 7. ubi de delicto quis deb. conven.* D. Rovitus *in eadem pragmat. 1. ex num. 46.* Molinus *de brachio sæculari, cap. 42. num. 5. & 6.* Caballus *resolut. crim. casu 162. num. 10.* Capiblancus *in pragm. 8. part. 2. num. 206. de Baronibus.*

Hæc autem præstantia loci delicti, & ejus supra alios 783
foros excellentia, & prærogativa potissimum spectatur, & elucet in eo effectu, ut præferatur Judex loci delicti quoad ejus coerctionem, & cognitionem, formationemque processus de eo, exteris omnibus Judicibus, qui de delicto cognoscunt, & eo petente remissionem rei, debeat reus ex quocumque loco, & foro ad eum remitti. Quoniam vero iste est potissimus effectus, & ad hunc locum pertinet de remissione tractare, ut explicetur, quid possit, & debeat Judex efficere, cum ab eo remissio petitur ex quocunque foro, & cui alteri Judici cedere debeat, cui non item, ex quo plenius exponetur paulo ante facta tractatio de requisitoriis litteris, quæ ut plurimum ad eum effectum expediuntur, oportebit nonnulla de ista remissione subjicere; quæ tamen reservamus tradenda, postquam attulerimus quasdam limitationes prædictæ primæ regulæ, & conclusionis principalis.

Prædictam igitur primam regulam, & conclusionem 784
sic ampliatam, & explicatam, limita primo, ut procedat in foro exteriori, non vero in foro interiori conscientiæ, quo attento non fortitur quis forum in loco ubi delinquit, ac proinde debet peccatum confiteri proprio Parocho, & non coram Parocho loci delicti. Docuit Glossa *in c. placuit, el primo, verbo, sepeliat, 16. quæst. 1.* Imola *in c. P. & G. num. 45. de officio, & potestate Judic. delegat.* Ancharanus *in cap. postulasti, n. 15. de foro competenti*, Romanus *singul. 459.* Navarrus *in cap. placuit, num. 83. & 84. de pœnitent. distinct. 6.* Covarruvias *in practicis, cap. 11. num. 4.* Duennas *regul. 378. forum limit. 1.* Julius Clarus *lib. 5. sentent. §. final. quæst. 38. num. 5.* Follerius *in pract. crim. rubr. audiantur excusatores, num. 127.* Barbosa *in d. leg. hæres, absens, §. proinde, in articulo de foro delicti, num. 56. ff. de jud.* Franciscus Suarez *in tertiam partem D. Thomæ, tom. 4. disp. 25. sect. 1. n. 18.* ubi reddit optimam rationem specialitatis, quod in foro interno non potest unum delictum puniri, aut remitti sine alio, sed simul omnia remittuntur, & puniuntur. Idem igitur debet esse Judex omnium culparum, & non potest dividi forus, & jurisdictio, ut contingit in delictis quoad forum exterius; & ideo *in cap. omnis utriusque sexus, de pœn. & remiss.* dicitur universim, & sine distinctione, omnia peccata esse proprio Sacerdoti confitenda.

Limita secundo, ut delinquens in terra Baronis, 785
contra ipsum Baronem, idest ita ut Baro ipse offendatur, non fortiatur forum in loco delicti, neque possit eo casu à Barone procedi contra delinquentem, ut de delicto cognoscat, & delinquentem puniat, veluti si Baronis res furto subtrahat quis, aut occidat filium, famulum,

mulum, aut servum ejus, eumve corrumpat, aut audacior Baronem ipsum afficiat contumelia, aut jactans in eum probrosa verba, aut cum ejus uxore adulterium committens, aut cum filia suprum, eundemve ipsum insultet, aut percutiat; sed solum possit reum in hisce casibus carcerare, & ad superiorem, nempe feudi Dominum, qui legitimus est, & competens Judex, puniendum remittere. Ita sentiunt Bartolus *in leg. qui jurisdictioni, 11. in secunda lectura, num. 2. & 6. ff. de jurisd. omn. jud.* & in additione ad eum locum Mangrella, & Bottis, Decius *ibidem, num. 3. & cap. cæterum, n. 91. & in cap. cum venissent, 12. num. 45. de judiciis.* Oldradus *consil. 234. n. 5.* ubi ait, neque in causa civili inter Baronem, & vassallum posse judicare Baronem: idem docet Signorollus de Homodeis *consil. 108. num. 1. & 2.* Silvanus *consil. 63. ex n. 22.* Tiraquellus *tract. de jure primogeniorum, quæst. 69. num. 10.* Menochius *de arb. lib. 2. casu 181. num. 5.* Rolandus *consil. 16. ex num. 1. & num. 23. volum. 2.* Surdus *cons. 193. num. 6. lib. 2.* Amanellus *singul. 189.* Bovadilla *lib. 2. politic. cap. 16. n. 140. & 164.* Capycius *decis. 124.* & ibi Petra, Caballus *resolution. criminal. casu 128. ex num. 3.* Cancer *variarum resolutionum, part. 3. cap. 13. num. 197. & 200.* Mastrillus *decis. 234. ex num. 1.* & Tassonus post hæc scripta editus *in pragm. de antefato, vers. 3. observ. 4. num. 37.* Capiblancus *in pragm. 16. ex num. 76. de Baronibus*, Boerius *decis. 55.*

786 Hæc limitatio, quæ indubitata est, probatur primo ex textu *in Auth. de defensoribus civitatum, cap. 5. seu §. & à defensoribus, vers. si vero egerint, collat. 3.* ubi de injuria facta defensoribus ipsi non cognoscunt, sed Præsides Provinciarum. Secundo, *ex leg. qui jurisdictioni, 10. ff. jurisdict. omn. jud. & ex rubrica, & lege unica, C. ne quis in sua causa judicet, lib. 10. tit. 4. par. 3.* & ibi ex Gregorio, & communi omnium Doctorum sententia in prædictis locis, juxta quam certissimum est, neminem posse in propria causa Judicem esse, idem præterea notarunt Authores regularum, *tom. 1. liter. I. verb. Judex in causa propria*, Socinus *liter. I. regul. 21. alias regul. 243.* Syntagma communium opinionum *lib. 3. tit. 3.* Afflictis *in cap. 1. n. 11. de pace juramento firmanda*, Natta *consil. 487. num. 43. tom. 3.* Petra *de potestat. Princip. cap. 8. num. 5.* Petrus Gregorius *de Republica, lib. 4. cap. 5. num. 49.* Trivisanus *decis. 10. ex num. 34. lib. 2.* Farinacius *in praxi, quæst. 17. num. 44.* Aviles *in cap. 3. Prætorum, verb. Abogados, ex num. 9.* Vivius *decis. 223. ex n. 1.* Alphanus *collect. 203.* Tertio, quoniam ut indubitatum præsupponunt Doctores, à communi regula prædicta dumtaxat esse recedendum in supremis Principibus, ut Papa, & Imperatore, & Regibus, qui possunt esse Judices in propriis causis, tam civilibus, quam criminalibus: ut notat in dictis legibus, *& in l. est receptum, 14. ff. de jurisdict. omn. judic.* Innocentius *in cap. ex parte, 22. ex num. 1. de verbor. significat.* Panormitanus *in cap. cum venissent, 12. ex n. 6.* Decius *ex num. 29.* Felynus *ex num. 4. de judic.* Oldradus *cons. 124. num. 3.* Gregorius Lopez *in lib. 5. tit. 24. par. 4. gloss. 8.* Belluga *in speculo, rubr. 44. §. quia multitudo, num. 2.* & ibi Borellus, Martinus Laudensis *tract. de Principibus, quæst. 108. tom. 16. tract.* Joannes Lupus *in repet. cap. per vestras, notab. 2. §. 1. num. 49. de donation. inter.* Aviles *in cap. 3. Prætorum, verbo Abogados, ex num. 9.* Maranta *in praxi, 6. part. tit. de appellation. ex num. 33.* Bossius *tit. de foro competent. ex num. 170.* Trentacinquius *variar. resolut. lib. 2. tit. de judiciis, resol. 5. ex num. 1.* D. Regens Tapia *Senatus supremi Italiæ, dec. 24. num. 7.* Tuscus *liter. I. concl. 403. tom. 4.* Cabedo *dec. 76. 2. part.* Petra *de potestat. Princip. cap. 6. part. 2. n. 51. & cap. 15. n. 75.* Conradus *in templo omnium judicum, lib. 1. cap. 1. §. 4. tit. judicant. in causa propria, ex num. 1.* Bovadilla *lib. 2. politic. cap. 16. num. 140. & 164.* Grassis *de exceptionibus except. 24. ex num. 96.* Imo vero illis etiam honestius, & decentius esse judicant Doctores omnes, si suam ipsorum causam aliis dijudicandam committant, & delegent, ut notat idem Bovadilla *lib. 3. politic. cap. 1. num. 38.* Chassanæus *in catalogo gloriæ mundi, 5. part. considerat. 5. versic. tertio quoniam*, & Gregorius *in d. leg. 5. tit. 24. par. 3.* post textum ibi, necessarium existimat, ut fiat hæc delegatio; tametsi prædictus textus agat de causa feudali, in qua ex speciali feudorum jure, ad partes Curiæ recurritur: cæterum in aliis inferioribus superiorem recognoscentibus, standum esse regulæ, ut in specie Decius *in d. leg. qui jurisdictioni, ex num. 10. & in dict. cap. cum venissent, ex num. 44.* post Panormitanum animadvertit, & alii relati, & in specie Trentacinquius *d. resolut. 5. num. 25.*

Amplia limitationem, ut non solum Baro non possit de 787
injuria sua cognoscere; sed neque etiam possit officialis Baronis de ea cognoscere, sive delegatus à Barone ad eam causam, sive officialis ordinarius ab ipso Barone nominatus, antequam causa offensæ accidisset; sed dumtaxat possit delinquentem carcerare, & ad Dominum directum feudi puniendum remittere. Ita sentiunt Bartolus *in d. l. qui jurisdictioni, 10. n. 2. ff. de jurisd. omn. jud.* & ad eum locum Mangrella, & Bottis, referentes in hoc articulo duas decisiones Sac. Cons. Signorolus *d. cons. 108. n. 1.* Silvanus *cons. 63. ex n. 22.* Rolandus *cons. 16. n. 6. & seq. & n. 23. vol. 2.* Surdus *cons. 47. n. 2. lib. 1.* Caballus *resol. crimin. casu 128. ex n. 5.* Flavius Amendola *ad Franchis dec. 274. n. 1.* Bovadilla *l. 2. polit. cap. 16. n. 140. & 164.* Ursillus *ad Afflict. dec. 265. n. 33. 34. & 35.* Probatur primo hæc ampliatio ex *l. lex Cornelia, 6. in principio, ff. de injuriis*, ubi quis prohibetur esse Judex in causa suorum: ergo è contrario, in causa Domini non poterunt ejus homines esse Judices. Et augetur difficultas, quoniam non potest in causa qualibet dari ille Judex, quem litigans sibi assignari petit, *l. observandum, 47. ff. de judiciis*, ergo nec poterit esse Judex, quem pars ipsa litigans dat, ac per consequens non poterit judicare causam Baronis, Judex ab ipso constitutus. Et cum hic articulus incidisset in Sacr. Consil. in quadam causa, expendebatur à quodam ex Dominis pro hac parte *dec. 124.* Capycii, qui tametsi videatur decidere Baronem non posse procedere adversus eum, qui in ejus offensam patravit delictum; eo tamen tempore, quo dicta decisio prolata est, jam Barones utebantur officialibus nominatis, & per se non exercebant jurisdictionem, sed per Capitaneos nominatos, ut hodie exercent, imo & exercere coguntur, ut tradit Franchis *decis. 511. n. 1. & 4.* Freccia *de subfeudis, l. 2. auctor. 13. n. 7.* Amendola ad prædictam *dec. 511. n. 6. & 8.* Muscatellus *in praxi, l. 1. par. 2. gloss. competens, num. 60. & 61.* & Dominus Rovitus *in pragmat. 2. & 3. num. 14. de suspicionibus officialium*, Capiblancus *in pragmat. 3. ex num. 122. de Baronibus*, D. Regens Tapia *in const. ea quæ ad speciale, n. 54. & seq. lib. 2. Juris Neapol. rubr. 1.* ac per consequens, idem fuit decidere, non posse Baronem judicare causam vassalli, quod non posse officialem Baronis de ea cognoscere.

Secundo, quoniam id quod quis per se ipsum facere non 788
potest, non potest facere per alium, *cap. quod alicui, 67. cap. cum quid, 84. de regul. jur. in sexto*; qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur, *cap. qui facit, 72. de regul. jur. in sexto*. Sed Baro non potest cognoscere per se ipsum de sua offensa, aut delicto facto in ejus injuriam. Ergo neque per suum officialem, qui cum sit ab ipso dependens, & ejus nomine jurisdictionem exerceat, ipsumque repræsentet, ut dicit Franchis *dicta decis. 511. num. 1.* quod facit officialis, Baro ipse efficere videtur, cum idem censendum sit tribunal Baronis, & Officialis, quemadmodum Episcopi & Vicarii ejus, *cap. 2. de consuetudin. lib. 6.* notarunt Caballus *d. casu 128. num. 5.* Signorollus *d. cons. 108. num. 1.* Rolandus *d. cons. 17. num. 7. vol. 2.* Scaccia *de appell. quæst. 8. num. 53. cum seqq.* ex quo provenit, ut à Vicario ad Episcopum non appelletur, neque ab officiali Baronis ad Baronem, ut prosequitur Scaccia *d. quæst. 8. num. 103. ex vers. contra opinio.*

Tertio, quoniam Baro ipse non habet jurisdictionem 789
quoad suas causas, quarum Judex esse non potest, ut superius in secunda limitatione principali, num. 785. & 786. Ergo non potest eam dare officiali: nemo enim dat quod non habet, neque plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat, *l. traditio, 20. in principio, ff. de adquir. rer. domin. l. nemo plus juris, 55. l. nemo plus comm. 143. ff. de reg. jur.* ubi Decius, & Cagnolus, *cap. quod autem, de jurepatronatus, cap. nemo potest, 79.* ubi Cynus *de regul. jur. in 6.* Surdus *cons. 193. num. 17. lib. 2.* Tuscus *liter. D. concl. 17.*

Quarto, quoniam ex contractu facto cum Barone, 790
aut Domino loci in ejus territorio non fortitur quis forum contractus, ut possit Baro civiliter cognoscere contra contrahentem, *l. unica, Cod. de vundinis*, & ex ea notat Baldus *in d. l. qui jurisdictioni, 10. de jur. omn. jud.* Ergo ex delicto in offensam Baronis perpetrato non fortitur delinquens forum in territorio Baronis, seu loco delicti. Probatur consequentia, quoniam ex contractu ad delictum argui potest quoad articulum fori, ut superius, num. 735. in fine animadvertimus.

Quin-

791 Quinto, quoniam, quod ad Regnum Neapolitanum attinet, certissimum est Barones esse Regios officiales, ut notat Afflictis *in constit. Capitaneorum*, *n.* 15. *& in constit. pœnam eorum*, *n.* 37. *& in tit. quæ sint regalia*, *verb. potestas*, *n.* 1. Freccia *de subfeudis*, *lib.* 2. *auct.* 45. *n.* 4. Franchis *dec.* 211. *n.* 7. *& dec.* 274. *n.* 3. Caravita *ritu* 49. *n.* 7. Mastrillus *ad indultum generale*, *cap.* 36. *num.* 18. Succedit igitur decisio textus *in d. ritu* 49. *& ritu* 51. *& ritu* 61. ex quibus in Regno desumitur commune proloquium, de delictis Officialium solam Magnam Curiam cognoscere. Quos ritus non solum active, sed etiam passive accipi debere, idest non solum cognoscere Magnam Curiam cum Officiales delinquunt, sed etiam cum in ipsos delinquitur, decisum est à Sac. Cons. ut testatur Franchis *dicta dec.* 274. *num.* 4. *& dec.* 407. *n.* 7. *&* 8. *& dec.* 505. *n.* 22. ubi ait se vidisse sic semper practicatum, Gizzarellus, *decis.* 24. Regens Tapia *in pragm.* 1. *num.* 41. *ubi de delicto quis deb. convent. l.* 3. *Juris Neapolit. rubr.* 6. Regens Rovitus *in rubr. num.* 6. 7. *&* 8. *de Officialibus*, Bajardus *ad Clarum l.* 5. *sentent. §. fin. quæst.* 16. *num.* 10. Capiblancus *in pragmat.* 5. *num.* 70. *& seqq. de Baronibus*, Galluppus *in praxi*, *par.* 2. *cap.* 6. *n.* 98. *vers. & pro coronide*, Novarius *de election. fori*, *quæst.* 35. *n.* 7. *sect.* 4. *in ultima impressione*, Caballus *resol. crimin. casu* 148. *num.* 9. Igitur de offensa Baronis, & delicto contra ipsum commisso sola Magna Curia cognoscit, & non officialis ipsius Baronis. Et cum hæc quæstio me interveniente in Sac. Cons. incidisset, ut paulo ante dixi, expensum est pro hac parte dumtaxat primum, & secundum fundamentum, & non est decisa, quoniam fuimus in pari voto.

792 Sed subsistendum est, quoniam contrariam sententiam huic ampliationi, imo officialem ordinarium Baronis posse cognoscere de delicto patrato in offensam Baronis, persuadent non leviora, aut minus efficacia argumenta. Primo, quoniam patri, Domino, aut patrono interdicitur officium juris dicendi in causa filii, servi, aut liberti, aut alterius familiaris, *in d. leg. qui jurisdict.* 10. *ff. de jurisd. omn. judic.* si causa sit criminalis, ut explicat Glossa ibi, *verb. vel liberis*, Albericus *n.* 1. Angelus *n.* 3. Fulgosius *num.* 1. Paulus *num.* 4. Alexander *n.* 3. Socinus *n.* 6. Romanus *num.* 3. Jaso *n.* 6. Duarenus *lib.* 1. *disputat. cap.* 51. sentitque Glossa *in cap. infames*, 2. §. *filius*, *verb. Judicem*, 3. *quæst.* 7. quam sequitur ibi Archidiaconus, & Geminianus *n.* 17. idem Archidiaconus *in cap. consanguinei*, *n.* 2. Geminianus *n.* 3. *eadem causa*, 3. *quæst.* 5. Antonius de Butrio *in cap. cum contingat*, 13. *num.* 22. *de foro comp.* de qua causa criminali loquitur plane textus concors *in l. lex Cornelia*, 5. *in princip. ff. de injuriis*, secus si causa sit civilis, ut constat *ex textu in l. quin etiam*, 6. *ff. de recept. arbitr. & in l. in privatis*, 77. *ff. de injuriis*, in quibus dicitur, & patrem in causa filii, & filium in causa patris Judicem esse posse mero jure, nisi recusetur, videlicet ab adversario, ut inferius n. 794. prosequemur, & notat Duarenus *in titulum de jurisdict. cap.* 6. *vers.* 5. *videndum*, *& in tit. de judiciis*, *sub rubrica de iis*, *qui Judices dari possunt*, *colum.* 2. Ratio autem discriminis est manifesta, quoniam offensa, & injuria filio facta, ex qua proceditur criminaliter, aut infamia regulariter resultans ex judicio criminali passivo communicatur patri, illumque tangit, & è contra injuria, aut infamia patris tangit filium, illique propria censenda est; universim enim injuriæ nostris factæ, nostræ censendæ sunt, suntque revera, *l.* 1. 2. 3. *&* 4. *ff. deliberari causa*, §. *patitur*, §. *servis*, §. *si communi*, §. *sed si libero*, *instit. de injuriis*, & recte Joannes Andreas *in cap. postremo*, 36. *n.* 8. quem ibi sequitur Imola *n.* 3. *de appellationib.* animadvertit in Tuscia injurias, & offensas consanguineorum vindicari solere, etiam ultra septimum gradum, quasi etiam ultra eum gradum afficere censeantur; ac per consequens si pater in causa injuriæ, vel offensæ filio, vel à filio factæ judicaret, aut è contra, filius de injuria patris, in propria causa jus diceret; quod prohibetur *in rubrica*, *& in leg. unica*, *Cod. ne quis in sua causa*, & neutiquam permittendum est, ut superius num. 786. probavimus. Secus est cum agitur de commodo pecuniario, quippe cum commodum pecuniarium consanguinei non pertineat ad consanguineum, neque possit judicari consanguineo proprium: quamvis enim in causa consanguinei pecuniaria, præsumatur affectio ad consanguineum, quæ est causa justæ suspicionis, ob quam à judicando repelli debeat, si adversus ipsum proponatur, *d. cap. postremo* 36. *de appellationib.* Hæc tamen affectio, & suspicio non parit impotentiam judicandi in Judice, & incapacitatem jurisdictionis, quamobrem *in d. leg. qui jurisdict.* non dici quem non posse, sed non debere judicare, credidit Paulus ibi *num.* 2. quem alii sequuntur, & notat Cujacius *in d. l. in privatis*, 77. *ff. de judic.* At in casu de quo agimus, causa tangens Baronem, aut injuria, & offensa facta Baroni, non ita pertinet ad ejus officialem, aut est ei propria, ut cum de ea officialis judicaret, censeretur in causa propria judicasse. Quo enim consanguinitatis, aut altero vinculo conjunguntur Baro, & officialis ejus, ut injuria uni facta propria alterius sit censenda? Neque in eo item casu procedit argumentum, quo utitur Bartolus *in d. leg. qui jurisd. num.* 2. *ex leg. observandum*, 47. *ff. de judiciis*, quod quemadmodum non potest dari Judex quem pars petit, ita neque possit esse Judex, quem pars dat: nam illud argumentum plane probaret non posse Baronem causam offensæ suæ jam illatæ committere, & delegare alicui Judici, quasi eligens sibi Judicem in sua causa; non vero probat non posse cognoscere, de causa Baronis Judicem, seu Capitaneum ordinarium electum, & nominatum à Barone antequam posset divinare, fore ut ipse offenderetur, & cognitio ipsius injuriæ ad Capitaneum ab ipso nominatum, & electum deveniret, cum tempore electionis, non potuerit Baroni in mentem venire futurus eventus suæ offensæ, de qua ille, quem nominabat, Capitaneus esset judicaturus. Quod vero attinet *ad decisionem* 124. Capycii, certum est illam non fuisse prolatam in civitate Neapolitana, sed in Panormitana Siciliæ ultra Pharum ante diem 15. Augusti anni 1517. quo die reversum se à Panormo Neapolim fatetur idem Capycius *dec.* 127. in ipsius tituli initio. Eo autem tempore an in Regno Siciliæ ultra Pharum esset consuetudine receptum, ut Barones exercerent jurisdictionem per Capitaneos, non vero per se ipsos, non video expeditum. Imo vero hodiè in Regno Neapolitano, tametsi, ut paulo ante dicebamus num. 787. sit usitatum, ut Barones exerceant jurisdictionem per Capitaneos, non crederem processum factum à Barone ipso, aut sententiam ab eo latam nullitatis vitio laborare ex ea sola causa, quod esset lata à Barone ipso, non à Capitaneo, dummodo proferretur, & processus fieret ante præceptum Sacr. Consil. aut inhibitionem Baroni factam, ne in causis vassallorum manus mitteret, sed sineret Capitaneos procedere, cum ipse mero jure jurisdictionem habeat, & provisiones quas expediri solere in Sac. Consil. tradit Franchis *d. dec.* 511. & cæteri ibidem relati, ad hunc effectum, indicant, ideo inhiberi solere Baronibus, quia eos uti per se ipsos jurisdictione rectæ gubernationi non expediat, convenienque non sit, non quia non possint. Quod plane in Castella servatur quoad Dominos vassallorum, quorum Judices solent procedere in causis civilibus, & criminalibus ipsos tangentibus, donec à supremis tribunalibus inhibeantur, ut tradit Bovadilla *lib.* 2. *politica*, *cap.* 16. *num.* 140. meminitque Mastrillus *de magistratibus*, *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 282. & 283. Quidquid tamen sit, plane in casu prædictæ *decis.* 124. Capycii Comes processum formaverat de causa illa suæ offensæ, ut constat *ex num.* 12. ibidem, ubi dicitur suspensus processus per Comitem factus: neque vero illi denegata est jurisdictio ad procedendum in ea causa, imo proculdubio habitus est pro competente, tametsi pro suspecto; siquidem decretum est, Comitem debere eligere unum Judicem, ut procederet in ea causa, qui associaretur cum alio à Prorege nominando. Ex quibus colligitur primum argumentum pro prædicta ampliatione adductum, nullam vim habere ad eam comprobandam.

793 Secundo, quoniam officialis Baronis est officialis Regius, & exercet jurisdictionem nomine Regio, & non nomine Baronis, ut multis tradit Mastrillus *ad indultum generale*, *cap.* 36. *ex num.* 13. *& dec.* 147. *num.* 27. & plures ex Doctoribus à me relatis supra, num. 791. neque dependet à Barone post factam nominationem. Non est enim ad nutum amovibilis, imo debet adeptum semel officium per annum integrum exercere, ut cæteri Regii officiales, ut statuitur *in pragm.* 5. *de Baronibus*, & ante amoveri non potest, ut notat Vincentius de Franchis *decis.* 409. & Rovitus *in d. pragmat.* 5. *num.* 1. ac per consequens, quod officialis facit, Baro facere non videtur. Neque obstat quod dicebatur, idem esset tribunal Baronis, & officialis, & ab officiali ad Baronem non appellari, quemadmodum à Vicario ad Episcopum, ob id, quia unum est, & idem esset tribunal Episcopi, & Vicarii, *c.* 2. *de consuet. in sexto*, & notat Baldus *in Auth. clericus quoque*

que num. 5. *C. de Episcop. & cleric.* Non inquam obstat, nam quantumvis vera esset similitudo, ex ea nihil colligeretur, quod ad rem, de qua agimus, faceret; imo vero minor esset dependentia causæ tractatæ ab officiali Baronis, si neque per viam appellationis ad Baronem ipsum devolveretur, & liberius posset officialis in ea judicare, cum judicii sui, non Baroni, sed superioribus solum esset rationem redditurus; sed tamen, neque veritas similitudinis est plana, & expedita: nam imo tribunal Baronis, & officialis non esse unum, & idem, & regulariter in Regno posse appellari ab officiali ad Baronem, præsertim cum fere omnes Regni Barones habeant primas, & secundas causas, docuit Andreas de Isernia *in constitut. officiorum*, Afflictis *ibidem*, *num.* 11. *&* 12. Freccia *de subfeudis*, *lib.* 2. *authoritat.* 16. *num.* 1. *&* 2. Scaccia *de appellationib. quæst.* 8. *ex num.* 103. Jaso. *cons.* 161. *ex num.* 1. *volum.* 2. Covarruvias *in pract. cap.* 4. *num.* 6. *in fine*, loquens de Dominis vassallorum Regnorum Hispaniarum, Rolandus *cons.* 75. *n.* 10. *& seqq. vol.* 3. loquens de casu quo investitura tribuit secundas causas, ex quo satisfit secundo argumento.

794 Tertio, quoniam Dominus directus tribuens Baroni investituram feudi, videtur illi concessisse omnimodam jurisdictionem, nihil sibi reservando, ita ut quamvis regulariter concessio jurisdictionis facta à Principe, censenda sit tribuere jurisdictionem cumulative, & non privative, ut probat textus *in cap. dudum*, 14. *vers. nisi igitur*, *de præbend. in sexto*, ibi; *pœnes nos tamen nihilominus remansit major*, notat Afflictis *in cap.* 1. *verb. potestas*, *n.* 1. *quæ sint regalia*, facit doctrina Bartoli per textum ibi *in l.* 1. *C. de offic. Præfecti Urbi*, textus *in l. ultima*, *C. de jurisdict. omn. jud.* & quæ cumulavit Romanus *cons.* 393. *ex num.* 1. *ad* 10. probat late Rolandus *cons.* 80. *volum.* 2. tamen cum jurisdictio conceditur tanquam annexa feudo, & per investituram feudalem, intelligitur concessa privative & non cumulative; tradunt Felynus *in cap. pastoralis*, 11. *num.* 3. *de offic. ordinar.* Joseph Ludovicus *commun. opinion. de jurisdictione*, *concl. unica*, *fallent.* 8. Tuscus *liter. I. concl.* 556. *ex n.* 1. Grammaticus *decis.* 30. *num.* 9. & ad eum locum addentes Petra, & Didacus de Mari, Sixtinus *de regalibus*, *l.* 1. *cap.* 5. *n.* 56. Rosental. *de feudis*. *cap.* 5. *conclus.* 5. *ex num.* 2. Hartmanus Pistor *quæst. jur. l.* 2. *q.* 45. *n.* 15. Menochius *de præsumptionibus*, *l.* 2. *præsumpt.* 18. *ex num.* 5. *& cons.* 604. *ex num.* 23. *l.* 7. Cravetta *cons.* 411. *ex n.* 36. *& per totum*, *vol.* 3. Decianus *cons.* 35. *ex n.* 60. *volum.* 2. Freccia *de subfeudis*, *l.* 2. *authorit.* 9. Rolandus à Valle *cons.* 16. *n.* 14. *& cons.* 48. *ex n.* 23. *& cons.* 78. *ex n.* 2. *vol.* 2. *& cons.* 21. *n.* 10. *& seqq. vol.* 4. Mastrillus *de Magistratibus*, *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 46. *& l.* 4. *cap.* 16. *n.* 214. Barbosa *in leg.* 1. *articul.* 4. *n.* 112. *ff. de judiciis*, qui multos refert, & ibidem *num.* 51. Quo fit, ut Dominus directus non possit se intromittere in primis causis occurrentibus in terris vassallorum, ut notavit Baldus *in l.* 1. *num.* 35. *ff. de rer. divis.* Regens Fulvius Constantius *in l.* 1. *num.* 90. *cum seqq. C. pœnis fiscal. cred. præferri*, *l.* 10. & plurimis cumulatis, Rolandus *in dict. cons.* 16. *n.* 13. dicit claram Doctorum sententiam, Petra *de potestate Principis*, *cap.* 8. *ex n.* 55. Capycius *in investitura feudali*, *sub tit. feudorum clausulæ*, *verb. cognitione primarum*, *& secundarum causarum*, *pagina mihi* 127. *cum cæteris clausulis sequentibus*, Mastrillus *ubi supra*, & alii. Peregrinus *cons.* 25. *n.* 4. *vol.* 5. Cancerius *variarum resolutionum*, *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 155. *cum seqq. & n.* 280. 281. *&* 282. Giurba, qui eleganter loquitur, & multa in hanc rem congessit *cons.* 66. *num.* 18. *& sequent.* Quare censetur concessisse Baroni jurisdictionem, circa causas etiam suas, quam apud se habet, & eam in illum cum tota universitate transtulisse. Cumque eam Baro habeat, & solum sit impeditus, & suspensus ab exercitatione, & usu ejus, repugnante illo juris axiomate, quod nemo potest sibi ipsi jus dicere, potest etiam eam suo officiali conferre, in quem non transit prohibitio illa, cessante ejus ratione, quod plane sensit Bossius *titulo de foro competenti*, *num.* 38. Bene verum est, posse quandoque recusari officialem Baronis, uti suspectum, in causa tangente Baronem, quemadmodum Vicarius Episcopi suspecti, & recusati, potest recusari, ut notat Anastasius Germonius *lib.* 2. *animadversionum*, *cap.* 21. Surdus *consil.* 47. *n.* 2. *lib.* 1. Item, & delegatus à suspecto, & recusato, potest recusari, tametsi ex eo solo, quod delegetur à recusato, recusari non possit, ex textu *in lege Prætor*, 17. *ff. de jurisdictione omnium Judicum*, notat Paulus Castrensis *in d. l. qui jurisdict. num.* 2. Decius *num.* 6. *eodem titulo*, & ex textu expresso *in cap. si quis contra Clericum*, 4. *de foro competenti*, & ibi Glossa, *verb. exequutor*, notat Baldus *in Authentic. Clericus quoque*, *num.* 5. *Cod. de Episcopis*, *& clericis*, loquens de Episcopo, qui causam suorum, quoniam in ea erat suspectus, delegaverat. Verum recusationi locus erit, ex traditis à Doctoribus *in cap. postremo*, 36. *de appellationibus*, & aliis, qui tractant de recusationibus, quos consulto omitto, & in specie notat Capiblancus *in pragmatica tertia*, *ex num.* 165. *& in pragm.* 8. *part.* 1. *n.* 184. *& in pragm.* 16. *n.* 77. *&* 80. *de Baronibus*. D. Regens Rovitus *in pragmat.* 1. *num.* 8. *de suspicionibus officialium*, Cancer *variarum resolutionum*, *part.* 3. *cap.* 13. *num.* 187. *cum sequentibus*, & Cravetta *consil.* 6. *num.* 30. *in fine*, *& num.* 31. 32. *&* 33. *vol.* 1. & juxta hanc doctrinam procedit, quod decisum refert Mastrillus *decis.* 234. *ex num.* 22. Hoc tamen ipsum arguit officialem Baronis esse Judicem competentem causarum ad ipsum Baronem spectantium, nisi per recusationem removeatur? nam ut removeatur incompetens, & qui jurisdictionem non habet, recusatio non est necessaria, quod præsensit Decius eo argumento usus *in capitul. Caterum*, *num.* 51. *de judiciis*, & Cravetta *cons.* 232. *n.* 2. *volum.* 2. Quod ex eo item comprobatur, quoniam Judex ipso jure, jurisdictionem habet, & judicare potest in causis suorum, adversario consentiente, & eum non recusante, ut sentit Paulus Castrensis *in d. leg. qui jurisdictioni*, *num.* 2. *&* 3. Alexander *num.* 2. *&* 3. Socinus *num.* 2. *&* 3. Jaso *num.* 6. Decius *n.* 4. 5. 11. *&* 16. *ff. de jurisdict. omn. judic.* idem Decius *in cap. cum venissent*, *num.* 59. *&* 60. *de jud.* idem Socinus *regul.* 250. *fallent.* 6. 7. *&* 8. quoniam in re propria quilibet est moderator, & arbiter, *in leg. re mandata*, *Cod. mandat.* & tacito consensu suo adversarius nihil opponendo contra Judicis personam jurisdictionem confirmat, ut docet Bartolus *in d. l. qui jurisdict. num.* 4. Decius *dicto num.* 26. & quod magis est, Joannes Andreas *in d. cap. postremo*, 36. *num.* 4. ait patrem posse esse Judicem in causa filii, si non recusetur. Idem docet Philippus Franchus ibi, *num.* 1. *in fine*, eamque sententiam Pauli, & cæterorum, optime comprobat eam sequutus Aymo, Cravetta *consil.* 801. *ex num.* 3. *volum.* 5. eamdemque sequutus est Capycius *decis.* 137. ubi cum ageretur de causa, in qua vertebatur interesse Archiepiscopi Montis regalis, coram ejus Vicario, ad eum removendum fuit necessaria recusatio, & ita decisum. Probatur autem ex textu sic explicato à Paulo, & cæteris *in dicta leg. in privatis*, 77. *ff. de judiciis*. Ex quo constat solutio ad tertium argumentum.

795 Quarto, quoniam ratio cur ex contractu in loco nundinarum, non sortiatur forum mercator contrahens cum Domino loci, est quoniam contractus factus cum aliquo tanquam cum statim recessuro forum non tribuit, ut dixi superius quæst. 4. num. 237. cum seqq. Contractus autem factus à Domino loci in loco nundinarum cum mercatore advena agitur tanquam cum statim recessuro; at delictum semper tribuit forum, sive committatur ab stabiliter permanente, sive ab statim recessuro ut recte notat Albericus *in leg. heres absens*, 19. §. *si quis tutelam*, *num.* 8. *ff. de judic.* ex quo solvitur quartum argumentum ex contrariis.

796 Quinto quoniam *decisio illa* Vincentii de Franchis 274. *num.* 4. videlicet *ritum* 49. quo dicitur de delictis officialium cognoscere Magnam Curiam, intelligendum esse etiam passive, est maxime dubitabilis, & controversa, cum sæpius contrarium fuerit decisum in eodem Sacro Consilio optimis rationibus, ut testatur idem Franchis *decis.* 407. *num.* 8. & Follerius *in practic. crimin.* 1. *part.* 2. *part. verb. audiantur excusatores*, *num.* 137. qui contra sentit, & Fabius de Anna *cons.* 107. *num.* 22. *volum.* 2. & certe verba ritus non adaptantur ad hunc casum. Delictum enim officialis non dicitur, quod in offensam officialis fit, sed quod ab officiali committitur; ut considerat idem Follerius. Ex quo responderi potest ad quintum argumentum oppositæ sententiæ, quæ evertatur necesse est, eversis ejus fundamentis.

797 Ego certe si quid valet meum de hac re judicium, in contingenti casu non dubitarem si opponeretur adversus officialem Baronis, dum procedit in causa ad jus Baronis attinente, non posse, illum procedere in ejusmodi causa, quoniam sit officialis illius, & quasi homo suus, etiam si recusatio, aut suspicionis causæ non interponentur solemniter, & solita forma, debere illum deinceps supe-